



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. CLIII. Romana seu lanuen. locorum montium. An sivuti substitutio in  
casu delicti non impedit alienationem vel liberam bonorum dispositionem  
ante quam fiat casus, ita etiam sequatur in casu ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

subjacerent, ideoque intrare non poterat retractio respectu bonorum ante delictum distractorum, & quæ tanquam amplius non extantia penes delinquentem non poterant confiscationi subiacere & successivè non ea debant substituere, ut admittit idem *Cyriac. loc. cit. nu. 13. & 14.* atque ex hoc fundamento juxta hæredum votum prodit resolutio.

Ceterum quatenus pertinet ad punctum in abstracto, & cum præsupposito, quod circumscripta etiam dicta particulari circumstantia, ageretur de substitutione in universum simpliciter ordinata, adhuc tamen dicebam, etiam cum sensu veritatis, omnino in substituentem malèq; fundatà videri dictam sententiam *Cyriaci* in ea causâ ad pecuniam vel clientis affectionem, more Advocatorum forsâ ut sapissimè contingit etiam contra proprium votum scribentes, cum procedendo cum aliquibus regulis satis generalibus ac vagis, nullum deducat fundamentum vel rationem, quæ istos speciales terminos percatat vel stringat.

In contrarium verò ponderabam eam pro meo judicio urgentem rationem aliàs ponderatam ac deducit in *Romana seu Ec. officiorum discurs. 150.* quod scilicet hujusmodi dispositiones verè & realiter non continent fideicommissum tanquam concernens onus & gravamea hæredis ac favorem substituti, ut regulariter sunt fideicommissa restitutoria seu conservatoria odiosam servitutem importantia, sed continent favorabilem provisionem ipsimet gravato, ut à delictis abstineat; Et magis proximè, ut pro eodem in casu restitutionis in gratiam Principis vel pro ejus filiis & legitimis successoribus bona conserventur, & per fiscum irrecuperabiliter non occupentur, ut advertunt *Masvill. dec. 181. nu. 26. & 27. & ceteri*, de quibus in *d. disc. 150.* præsertim quoties, ut in præfenti concurrat alia provisio, ut substitutus denuò gravatus censetur restituere eidem gravato factò capaci, atque in Principis gratiam restituito, cum tunc substitutio continere videatur in effectu quamdâ fiduciariam conservatiorem bonorum substituto commendatam in gratiam & favorem ipsius gravati delinquentis, ut in gratiam rediens bona inveniat à confiscatione vel multâ præservata, ut etiam advertitur in *Perusina transationis discurs. præc. & conferunt deducta supra disc. 138. & 149.* ut non attendatur delictum, sed effectus confiscationis qui ex illo resultat; Si ergo hæredis gravati potius favor quam gravamen est, ad certum finem seu effectum directus, hinc nullo jure nullaque ratione dicendam videtur, ut quæ favore inducta sunt, odium ac præjudicium causare debeant contra receptissima principia.

Hinc ponderabam deducta apud doctum *Surd. cons. 559.* in cujus casu cum adesset fideicommissam conservatorium in casu alienationis intra certam ætatem per gravatum faciendæ, ac alterum fideicommissam indereterminatum in casu delicti seu confiscationis, disputatur de validitate vel invaliditate alienationis ratione primi fideicommissi seu prohibitionis alienandi, nulla penitus habita dubitatione ob alteram substitutionem in casu delicti; Pro ut in casu *decis. 255. Othob.* absolute supponitur, ex fideicommissi in casu delicti non resultare illud bonorum onus & gravamen, quod ex fideicommissi in casu mortis resultat, Atque ita docere dicebam totius Orbis observantiam, quoniam in illis Regionibus vel Provinciis, in quibus ob delicta etiam privata, in toto vel in parte, bona publicantur, omnia fere testamenta liberam institutionem continentia

*Cardin. Luca de Fideicommiss.*

hujusmodi cautelam fisci exclusivam habere solent, & tamen bona hæreditaria sane in libero commercio, ac dispositione; Atque aliis esse liberum commercium omnino tollere; Suffragante etiam regula, quod inducta ad certum finem & effectum illum egredi non debent, neque danda est extensio fideicommissorum & onerum de casu ad casum, Unde cum hæc substitutio directa sit ad solvendum præservandi bona à confiscatione, intelligenda non est nisi de illis, quæ tunc extantia hujusmodi oneri subiacent.

Ad auctoritatem verò *Rota coram Rojas*, dicebam nullam de ea rationem habendam esse, cum ibi principaliter constitueretur fundamentum in expressa prohibitione alienationis, & sic in fideicommissi conservatorio, & concurrebat, etiam alterum fideicommissum simplex & restitutorium in casu mortis, dicta verò *Cyriaci* auctoritas deducitur incidenter, sive ad superabundantiam extra causæ necessitatem, neque iste punctus formiter discussus vel decisus fuit, ideo dici non poterat quod desuper adesset decisio, quæ solum adesse dicitur in eo puncto, qui principaliter disputatus ac decisus fuit, non autem in iis, quæ incidenter, & non disputato formiter puncto in ipsis decisionibus dicuntur, ut sapissimè eadem Rota in quamplicibus decisionibus protestata est, dicta enim decisio prodit in casu de quo *disc. præced.*

## ROMANA

SEV

### IANVEN. LOCORVM MONTIVM

P R O

#### FRATRIBUS DE JUSTINIANIS.

*Causa disputata in Congregatione Montium,  
& resoluta ut infra.*

An sicuti substitutio in casu delicti non impedit alienationem vel liberam bonorum dispositionem antè quam fiat casus, ita etiam sequatur in casu substitutionis ob ingressum in Religionem, ita ut factò casu substitutionis, ista retrahatur necnè ad bona mediò tempore alienata.

Et aliqua de valida exclusionem seu privationem ingredientium Religionem, seu vitam clericalem profitentium.

#### SUMMARIUM.

- 1 *Acti series.*
- 2 *Qualitas, conditio vel limitatio temporis adjecta prima substitutioni an censetur repetita in secunda.*

Hh 2

3. De

- 3 De differentia inter substitutionem in casu obitus vel alienationis, & alteram in casu ingressus in Religionem.
- 4 An dispositio excludens Religiosos subsistatur.

DISC. CLIII.

**L**ucas Justinianus Januensis, animi ac fortunæ bonorum diuissimus, qui illius Reipublicæ primarios honores meruit obtinere moriens in ejus testamento scripsit hæredes Alexandrum, Vincen- tium, Laurentium, & Jo. Baptistam Paridem ejus filios, quos in sæculo habebat cum reciproca substitutione inter eos, quatenus absque filiis morerentur infra ætatem 25. annorum ad quam dictam substitutionem ac alienandi prohibitionem restrinxit, eandemque substitutionem factam esse voluit in eventum, in quem aliquam Religionem claustralem ingrederentur, quo casu voluit eos pro mortuis haberi ad favorem superstitum in sæculo existentium seu filiorum ex illis, qui præmortui essent in stirpes.

Cum autem in ista hæreditate quam plura remansissent loca montium non vocabilium Urbis, quæ juxta praxim in præcedenti Romana seu Comensi enarratam, in dictos hæredes translata fuerunt cum expressione prædictæ dispositionis ejusque vinculo- rum in literis patentibus, dictique hæredes tractu temporis omnes effecti essent majores dicta ætate 25. annorum, per quam reciproca substitutio in casu mortis, atque alienandi prohibitio cessabant, ac successivè bona ab omni onere vel vinculo soluta remanebant; Hinc propterea cupientes à literis patentibus locorum montium dicta vincula deleri, cum per Thesaurarium aliqua desuper habita esset difficultas, ob quam negotium fuit remissum ad plenam Congregationem montium, ista in prima propositione difficultatem pariter habuit, dictamque liberationem denegavit, atque dubitandi ratio consistebat in altera substitutione concepta in casu ingressus in Religionem, quæ indefinita videbatur etiam per dictæ ætatis lapsum non expiratam, co- cessa verò nova audientia.

In secunda propositione, pro dictis fratribus scribendis, indebitè dicebam dictam liberationem denegari etiam ex solo facto, per quod cujuscumque tertii præjudicium cessabat, dum reciproca substitutio in dicto casu ad solum favorem ipsorum fratrum ordinata erat, ideoque cum omnes jam effecti majores concorditer dictam liberationem peterent, cuicumque substitutioni ac vinculo renun- ciando, hinc proinde nemini fiebat injuria, neque alicujus tertii jus tollebatur; Licet enim criticando dari posset casus dictæ substitutionis ad favorem filiorum superstitum ex eis qui præmortui essent, quibus propterea ex propria persona venientibus, patris cōsensu præjudicare non deberet, Nihilomi- nus istum dicebam casum moraliter non contingi- bilem, quoniam ob amplitudinem patrimonii in aliis bonis consistētibus, moraliter impossibile videbatur dari casum, ut filii ex prædefuncto supersti- tes habere non deberent hæreditariam qualitatem patris, ad ejus proinde factum obligati.

Cæterum circumscripto etiam isto fundamento, quod potius morale, quam legale erat (considera- bile tamen ad effectum facilius admittendi alia mo- tiva legalia) dicebam dictam substitutionem in casu ingressus Religionis, Vel ob ætatem præce- denti substitutione præfinitam cessasse ex volunta- te testatoris, Vel quatenus voluntas adesset, quod

neque illa subsisteret, ac haberetur pro scripta ex defectu potestatis; Ac etiam ubi desin- cessante, adhuc tamē id nō impediret bonorum libe- ratem, ac facultatem liberè disponendi de bonis ta- lem ingressum, per quem substitutionem fieri deberet.

Quatenus igitur pertinet ad punctum vobis tatis, Dicebam hanc secundam substitutionem, si- gulandam esse juxta primam ut supra ad hunc tem- 25. annorum restrictam utpotè ordinatam, sequitivè & similitudinariè ad præcedentem, quod probant illa verba *l'istessa &c.* quod similitudinariè importat, ideoque intrare dicebam receptam inclusionem, quod ubi plures substitutiones simul continuatæ per verba similitudinariè de- tantia, tunc qualitas seu temporis limitatio præcedenti substitutioni adjecta censetur etiam in- quenti repetita Cravett. consi. 788. num. 7. Celli. 159. num. 29. & 32. Rota dec. 490. num. 5. per ver- vers. dec. 168. num. 1. ad 12. & 348. n. 1. & 349. n. 6. recen. in quibus habetur concordantia, & hujus propositionis fundamenta expeditur.

Eo magis, quia testator eandem suam voluntatem declarasse videtur, assimilando mortem civilem morti naturali, dum disposuit, quod Religiosos ingrediētes haberentur ac si essent mortui; Exemplum enim egredi non potest, ut non empiat, atque assimilatum regulandum est eodem modo, quo res cui fit assimilatio, dum æquiva- ru nidem est judicium, eademque censenda est dispositio ex deductis per Barbof. axiom. 14. num. 1.

Istud fundamentum non habuit plene in se, sed san merito, ex evidenti disparitatis ratione inter unum casum & alterum; In primò enim præcedens testator substitutionem restrinxit ad solum mortem ætatem, utpotè dispersionibus ac impulsionibus sub- jectam, ut exinde juxta hujus sagacissimi & vobis- striosissimi nationis consuetudinem, libertatem habu- cultatem haberent hæredes cum indultis, bono- rum libertatem omninò exigentibus, longævitas res divitias parandi, ut frequentior experientia- cer; Non sic est in altero casu, in quo ætatis præ- nitio nullum habet finem, dum hic esse videtur, pediendi transitum bonorum ad extraneas manus Religionis seu Monasterii, proindeque substitutio indefinitè intelligenda venit in quacumque et- casus contingat, dum semper eadem dispositio ratio militat; Et credebam benè motivati, quod hanc esse veritatem ex facto satis comprobatur, quoniam cum testator alium haberet filium, scilicet unum Mariam nuncupatum, in Societate Religio- sationis annos agentem, illum in dicta Societate vel alia Religione continuantem, simpliciter ac per- petuo exclusit, eumque solum instituit in eventum in quem ad sæculum rediret, quamvis in statu civili, ac etiam in sacris Ordinibus constitutus, quæ alia non fuit ejus voluntas in hac substitutione, sed impediendi transitum bonorum ad extraneas manus mortuas manus Religionum vel Monasteriorum quocumque tempore contingeret.

Motivabam etiam tanquam Advocatus de- ctum potestatis; In ea enim questione, an vobis hujusmodi dispositiones privantes seu excludentes profiteutes Religionem seu vitam ecclesiasticam Licet per dispositionem text. in aub. nō regent. c. 4. treb. & s. fel. & hoc præfenti c. de Sanctissimi Episcopi huiusmodi dispositiones per huiusmodi dispositiones per non scriptis habendas esse; Magis tamen communi ac in foro recepta est contraria sententia ut quæ non constat talem dispositionem odio Religio-

De Lib. de Testam. et c. 69

nis vel vitæ spiritualis emanasse, sed ex rationabili motivo conservandi bona in agnatione vel sanguine ex deductis supra in Romana fideicommissi de Cuppâ, & in Bononien. discurs. 63. & 64. ac in aliis talis dispositio valeat; Unde cum in præsentî præfarum rationabile motivum conservandi bona in sanguine vel agnatione post dictam ætatem 25. annorum cessaret, quia in cuiuslibet libertate post talem ætatem repositum erat liberè disponendi in quoscumque extraneos, hinc non videbatur aliud subesse motivum, nisi illud avertendi à vita Religiosa, cum nulla suppeteret ratio, cur valens de bonis suis liberè disponere, eaque, dum est in sæculo, cuiuscumque extraneo ac remoto donare, non possit eligendo vitam meliorem in Monasterium seu Religionem ea transferre.

Istud motivum in quadam stricta juris censura fringebat, Verum adhuc non erat aptum Congregationem suadere, ex eo quod huiusmodi irrationabilia odia & motiva in viro probatæ fidei, ac bonitatis præsumi non debeant, sed potius dispositio referenda sit ad idem jam dictum laudabilis desiderii conservacionis bonorum in sanguine; Nil obstante quod in sæculo adesset libertas in quoscumque disponendi, Tum quia hæc prudenter ordinari solet ad majorem bonorum industrem acquisitionem ut supra, Tum etiam quia ex communi experimento non solet ista prudens natio de facili profusiones ac bonorum dissipationes extra sanguinem exercere, ideoque moraliter testator creditur, quod excepto casu professionis in Religione, bona ab infortuniis quibus mercatura subjacet præservata, sanguinem seu agnationem egredi non deberent, atque reflectendo ad veritatem, mihi videbatur quod Congregatio bene motivaret.

Verum his etiam fundamentis circumscriptis, adhuc cum sensu veritatis, dicebam locum esse prædictæ vinculorum solutioni ex eo fundamento, quod substitutio in casu ingressus Religionis non impediret liberam disponendi facultatem post dictæ ætatis decursum competentem, sed intelligenda veniret de bonis, quæ tunc superessent, in quibus tantum sublata quacumque retroractione, urgebat testatoris voluntas, ne ad mortuam manum Religionis transiret ex eisdem rationibus & fundamentis in eadem Congregatione deductis in d. Romana seu Comen. disc. præced. ac etiam in Parmen. & in Romana hered. de Musis disc. proximè præcedentibus, quod scilicet in his substitutionibus non spectatur ipsum factum, sed effectus exinde resultans, ad quem solum ac principaliter testator respexit.

Et licet occasione istius disputationis per aliquos motivaretur de auctoritate Cyriaci controv. 346. illi tamen dabam easdem responiones in dicta alia causa datas, Et ex hoc ultimo fundamento Congregatio petitis inclinavit, ad omnem tamen exuberantem cautelam exigere voluit à dictis heredibus cautionem idonei Mercatoris in Urbe super indemnitate substitutorum, quatenus de jure casus fieret, atque aliquod jus eis competeret in locis medio tempore distractis, quod libenter adimplendum consului, quoniam idem est ac nihil, multoties enim iudices difficultates promovescentes, quamvis se victos agnoscant, solent quadam medias vias eligere, ne turpiter videantur per eandem regredi viam.

## NEAPOLITANA HÆREDITATIS

P R O

PP. CONGREGATIONIS LUCENSIS

C V M

PP. MINISTRANTIBUS INFIRMIS.

Casus variè decus per Rotam, & pendet.

De fideicommissio vel substitutione in casu non implementi vel inobservantia, aut contraventionis, alicujus præcepti testatoris, an dicatur fideicommissum pœnale, vel conditionale; Et de differentia, ubi præceptum vel adimplementum adjectum est per viam conditionis, vel per viam modi, & de effectibus exinde resultantibus; Et quæ sint præcepta non obligatoria; Et in specie de illo, de non transigendo.

### SUMMARIUM

- 1 **F**acti series.
- 2 **R**esolutiones cause.
- 3 **A**d incurrendam pœnam caducitatis ex causa alienationis vel alterius contraventionis requiritur dolus ex malitia.
- 4 **E**t ideo qualibet causa excusat.
- 5 **D**e contraria resolutione præcedentibus.
- 6 **Q**uod probabiliores essent prima resolutiones.
- 7 **D**e distinctione an implementum à testatore demandatum sit per viam modi, vel per viam conditionis & de effectibus.
- 8 **V**bi est per viam conditionis attenditur nudum factum & non curatur an sit culposum.
- 9 **D**e ratione differentia inter modum & conditionem.
- 10 **D**e eadem distinctione de qua rum. 7. an dispositio sit conditionalis, vel modalis.
- 11 **E**x quibus verbis deducatur processum esse per viam conditionis.
- 12 **Q**uomodo verè distingui debeat modus à conditione, & quando operentur verba.
- 13 **Q**uando dicatur per viam modi.
- 14 **E**xpenduntur doctrina & decisiones quæ adducuntur ad probandam, quod dispositio esset conditionalis.
- 15 **O**nus assumendi cognomen & insignia testatoris non est adimplendum nisi post obtentam hereditatem.
- 16 **D**e contributo inter legata, si hereditas non sit idonea.
- 17 **A**dimplementum faciendum in tempore etiam extra tempus attenditur & sufficit.
- 18 **D**e materia, an & quando transactio cadat sub prohibitione alienationis, & ad quos effectus.
- 19 **D**e differentia inter nullitatem actus & incursum pœnarum.
- 20 **A**n transactio afficiat successorem venientem jure suo independentem.